



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theophili Bernardini E Societate Iesv De Religiosæ Perseverantiae Præsidiis Libri XI. ...

Bernardin, Théophile

Antverpiae, 1622

27. De seipso in rebus vilibus exercendo: quod quartum est exercitium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47032)

vrgeo: cūm & paucorū peccata, imò etiam vnius peccatū, eorum qui iuste res administrant, libertatem apud Deum impediāt: quod postquam latè probauit, concludit, Hoc igitur cūm teneamus, quotiescumque aduerse res nos affligunt & premunt, delictorum & scelerum nostrorum penas à nobis exigi statuamus: quotidieq; criminum nostrorum instituto examine, non alijs, sed nobis ipsis horum culpam acceptam feramus. En auctoritates omni exceptione maiores, quibus vt nihil detraham, nihil super his addam.

C A P V T XXVII.

De quarto humilitatis exercitio, quod in rebus & officiis ad speciem vilibus versatur.

Solet in omni, non virtute tantū, sed arte, peritia & scientia obseruari, vt suis exercitationibus acquirantur quæ illarum propriæ sunt, eandemque naturam induunt: Mathematicus lineas, problemata, figurarumque demonstrationes cogitatione pertrahit: Medicus morbos, corporis partium sūm, ciborum, succorum, temporum energiam dispicit: Miles equos, enses, arma pertractat: Iuris peritus legum scita, iura populorum, regionum mores, roboratæ vim consuetudinis, æquitati naturæ comparat. Denique argutatur Dialecticus, pangit versus Poëta, orationem meditatatur Orator. Quid igitur? annon fortia qui fortis, casta qui castus, humilia exercebit quicumque verè volēt esse humilis? Profectò id est vel maximè necessarium: cūm enim superba naturæ propensione perpetuò vrgeamur, nisi contra edacem & assiduam torrentis istius alluionem humilitatis vallum obfirmauerimus, perfacile fiet vt pedetentim excessum corruat, toti que superbia & vanitate exundante diffluamus. At si exercendæ humilitati, quasi nouo aggeri comportando insudauerimus, ita fiet vt quod antè partum fuit magna securitate seruare, & etiam quasi ex quadam frumentatione militari nouum commeatum magna nostra voluptate comportare possimus.

Hoc erat ipsum quod in præclara de humilitate oratione, Magnus docuit Basilius, quando inquirens, quam potissimè ratione ad salutarem humilitatem, pernicioso superbiæ tumore relicto, peruenire valeamus? Si, inquit, per omnia ipsam exercuerimus, & nihil neglexerimus, tanquam hinc aut inde damnum nos perpassuri. Hoc est, omni data quantulacumque eius exercendæ occasione, ne id neglectim prætereire patiamur, ignaui scilicet naturæ torpore blandiente, & ex omni tenui illa exercitatione nihil damni emerfurum suadente; quibus profectò vocibus nequaquam accommodandæ sunt aures, sed per omnia vbi cumque dabitur exercenda humilitas. Rationem reddit his verbis: *Nam anima suis euadit similis studiis ac exercitijs, & ad ea que facit efformatur, ac coram quasi*

quasi figuram induit. Ideoque præcipit ibidem vir sanctus, vt habitus, vestitus, lectus, incessus, supellex, sermo, conuersatio, omnia denique sint ad humilitatem composita, eam redolere, & externa etiam specie præferre videantur. Et sancto illi viro Bernardo displicere aliquando ædificia non satis humilitati consonantia, eiusque suæ opinionis causam reddit his verbis; *Conferunt non modicum interioribus nostris exteriora nostra, ad similitudinem mentis aptata & composita, & bono proposito, suo modo conuenientia.*

Lib. de vita
solis.

Sed quoniam ad S. Bernard. defleximus, addamus quid super hac re ita docet vt præteriri, multoque magis ignorari non debeat. Itaigitur epist. 87. ad Ogerium quemdam scribit; *Humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugas humiliationis. Nam, si non pateris humiliari, non poteris ad humilitatem prouehi. Prodest itaque mihi meam insipientiam sciri, & à scientibus iure confundi, cui sapè contigit à nescientibus iniuste laudari.* Et trigesima quarta homilia in Cantica docet, *Maxima, nisi humilitatis merito minime obtineri, ideoque eum qui prouehendus est, correptione humiliari.* Tu ergo, inquit, cum te humiliari videris, habeto id signum, in bonum omnino argumentum gratia propinquantis, nempe, vt mox docet, si & patienter & libenter te humiliaueris: *Est enim humilis, vt ait, qui humiliationem conuertit in humilitatem, & ipse est qui dicit Deo; Bonum mihi est, quod humiliasti me.* Sunt enim ex D. Bernardi sententia, qui humiliantur inuiti, idque iniquè ferunt, remurmurant, indignantur: qui profecto, stultè admodum rem magno opere frugiferam correptionem, cum sibi habere cogantur, quod amarum est gustant, & reuoluendo regunt; quod suaue, quod vile, & solatij plenum esset, id à se improuidè atque pertinaciter respuunt; quin, quod miserum est, pœnis istis, pernicaci animo toleratis, nouas, easque grauiores pœnas commerentur. Igitur, sic humiliari, pessimum est, non rei tamen, sed hominis vitio. At sunt, qui molestè quidem id ferunt, quantumque licet declinant, se tamen intra rationis gyrum continent, tantumque vi animi à se ipsis impetrant, vt saltem patienter ferant, & abs eo quod iustum, Deoque placitum est, non recedant. Sed horum humiliationem, nondum sibi, nondum Deo ad plenum satisfacere asserit S. Bernard. Vult præterea vt ametur, vt magni instar beneficij eum gaudio, & sancta gloriacione cupidè admittatur: iuxta eum qui docet, *Glorietur frater humilis, in exaltatione sua;* eumque qui dixit, *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* ad eum in humiliatione, non tantum patienter ferre, sed magis, libenter gloriari voluit. De quo viro, eique similibus, *Generalem, inquit Bernardus, audi regulam: Omnis qui se humiliat, exaltabitur.* Significat profecto non omnem exaltandam esse humiliationem, sed eam tantum qua de voluntate venit, non ex tristitia, nec ex necessitate. Nec enim per contrarium, omnis qui exaltatur, humiliandus erit; sed tantum qui se exaltat, humiliabitur; nimirum ob voluntariam vanitatem. Ita ergo non qui humiliatur, sed qui sponte se humiliat, exaltabitur; vtique ob meritum voluntatis. Esto enim

Jacob. 1.
2. Cor. 11.

Mm 2

quod

quod d' humilitatis materia per alium ministratur, verbi gratia, probra, damna, supplicia: non tamen idcirco rectè, ab alio quàm à semetipso, humiliatus ille dicitur, qui illa omnia, tacita & lata conscientia, causa Dei subeunda decreuerit.

Qua è doctrina, verè diuinitus afflata, intelligimus, quantum nobis ex omni aduerso euentu commodi, quantum pariter incommodi si velimus affulgeat: si enim indignabundè vel nostram sortem, vel hominum, aut rerum iniquitatem inculamus, quid aliud, quàm nos, non ista, sed potiùs, honoratiora, optatiora meruisse iactamus, ipsi nos extollimus, atque idcirco, (quod ex modò dictis sequitur) Deum superbiæ vindicem, vt nos iteratò, & grauiùs afflictos deprimat, iritamus? At verò, si id omne quod euenerit, placabili & æqua mente excipimus, nosque solos, quod superiore capite dixi, inculantes, Deum nostrum in omnibus laudamus, nostraque omnia desideria, sanctissimæ eius prouidentia iudicij conformamus, quid restat quàm vt humiles, si non exalter (id enim spectare non debemus) at certè roborer, soletur, eripiat periculis, & securos æterni seruet Deus? Sed his, quorum suus fuit autea locus, omissis; id in præsens animaduertamus, quantum opere conferat, humiliationem omnem, siue vltro oblatam, siue sponte quæsitam, cupidè amplecti, velut efficacissimam conciliatricem, & omnis diuinæ gratiæ pronubam. Si enim virtutum atque gratiarum mater est humilitas, humilitatis verò procreatrix est humiliatio, necesse omnino est vt ab ipsa quoque humiliatione omnis gratia, & virtus omnis emanet.

Amandum igitur nobis est, quidquid eam redolet, & fugienda omnia que iactantiam, affectationem, fastum aut superbiam præferunt, cuiusmodi multa in superioribus enumerauimus. Pia quadam, & absque inuidencia, æmulatione leniter tangamur in eos, qui abiectiora, & in speciem viliora exercent, beatos illos ex animo credamus, mentisque tranquillitate seruata, tum ad eandem, si obtingeret, sortem subeundam semper parati simus, tum ad eam, vbi consultum fuerit, postulandam ac impetrandam, gnauius incumbamus.

C A P V T XXVIII.

Quæ ista sint viliora, & quibus animis vsurpanda?

QVOD si, quæ sint humiliora ista nominatim quæsiueris? docebit hoc ipse humilitatis amor, qui sibi congenita & similia, facilè & subtiliter aucupabitur: sunt enim in varijs institutis varia, sed & nationes ac regiones, suam etiam hinc varietatem pariunt. Quod in commune nobis, hac in Societate, vsa venite queat, obseruari facilè potest ex ijs que in B. P. Ignatij, Xauerij, Borgiæ, Gasparis, & huiusmodi virorum rebus gestis memoriæ tradita sunt, nihilque vel consultius, vel efficacius mihi videtur, quàm ad eorum imitationem remittere. In ijs